

ANTIQUÆ BOJORUM  
GLORIÆ

SEPULCHRUM,

Et recentis Ignominia

THEATRUM :

*Sive*

Bellum biennale Bojo - Suevi

Maximiliani Ducis

Bavariæ :

*Animo sincero Et c<sup>o</sup>*  
*nigro, .*

A



de confes-  
lements de  
pied qu'il  
icles accor-  
  
nt nouveaux  
dite place de  
omme au li  
rgeois exer-  
& aux mé-  
ogne leur  
enir, Il en

## Approbatio I. Facultatis Theologicæ.

**P**resentes strophæ, licet malos bojos, non  
men offendunt bonos mores, nihilque dissi-  
num habent ab orthodoxa fide, quia con-  
ent bellum pro Religione, hæc cum sancta si-  
ralia, ideo Prelo digna. Ita Censet. L. E.

## Approbatio II. Facultatis Juridicæ.

**A**fflicto non est addenda afflictio, ab hac ta-  
men Regula exceptioni locus esto; Elector  
quippe Bavarix, quamvis tum ferro, tum  
resertim ingeniosa hujus compositionis  
tur, ut tamen magis, & ubique pre-  
Ita censet C. K. A.


Facultatis



*Electoꝝ Bavaria in Belgio cum Gal-  
lis consilia capit de futuro contra  
Caesarem bello.*

§. I.

**G**ermania Superior, & inferior fuerunt Bavarix Duci,  
Sicut Jerusalem & Jericho!  
Ad hanc enim dum ab illa descendit,  
Incidit in latrones, Gallos,  
Quorum *cantus* est mera *incantatio*,  
Verba sunt spiculia,  
Blandimenta sunt vulnera.  
Rex Gallix nihil unquam ardentius optavit,  
Quam habere Fratres Germanos:  
Quos à Patre legitimo, Caesare, abstractos  
Aurò Patre, & Perfidiâ Matre  
Sibi gignendos curavit:  
Hos inter maximus est Maximilianus:  
Hunc publicè Fratrem nominat,  
Hunc ipsi Mater ambitio  
Gemellum dedit:  
Crederes hos duos Rebecca filios  
Jacob & Esau,  
Dum ille hunc *supplantavit*.  
Ut venderet pinguis Bavarix *Primogenita*  
Pro levi *plumento*  
*Caesare* promissionis:  
Esau tamen non *considerat*, sed bolos oblatos devorat  
Impulsus *regnandi* fame.



Bellum igitur conflat, panguntur fœdera.  
 Regna in pactis jam dividuntur,  
 Postea primum armis quærenda.  
 Bojos edit vicina Suevia.  
 Et alia quædam spatia imaginaria,  
 Quæ regem constituent hyemalem.  
 Sed hæc servanda sunt silentio,  
 Usquedum fraudem advertens delusus Esau, Leo bojcus,  
 Irrungiat clamore magno.

*Capta in Belgio consilia, in Bavaria  
 executioni parat.*

§. II.

**I**Nterea Belgium reliquit creditoribus;  
 Et Patriam revisit,  
 Quam, cum invenisset valde etiam gravatam

*Aere alieno,*

Sublevare statuit armatam  
*Proprio ferro :*

Scribuntur ergo milites, bello parantur omnia  
 Illi longè supra consuetum numerum,  
 Hæc ultra vires,

Nisi has nervus alienus roborâset :

Aurea Gallus ova peperit,

E quibus Gallina Bojca exclusit

Non pullos, sed viros.

Adest subhæc Gallicæ sedis

*Legatus à Latere*

Qui ducis nunquam non *latus* stipat,  
 Individuus comes, aut, si mavis, Præceptor

Ne quid inconsultò faceret.

Hæc omnia satis ostendebant

Gallicare Bojv<sup>um</sup>

tamen modò neutram se simulat,

Sed calidè,

Modò

Modò Cafari opem spondet,  
 Sed frigidè,  
 Revera Gallis addictus,  
 Et fervidè,  
 Solus LEOPOLDUS minimè fufpicabatur,  
 Quia ipfe finceriffimus,  
 Neminem præfumat dolofum.  
 Maluit itaque expectare, quàm credere  
 Generi fui perfidiam.  
 Aperitur proinde prologus funeftæ Tragœdiæ,  
 In qua Elector Baviaræ, orbe fpectante,  
 Primariam perfonam fufinet:  
 Quem verò plaufum tulit?  
 Factus eft tandem ex Actore Rens.

*Sub initium bellica expeditionis facellum*

*Campo-Lycianum ingreffus, à B. Virgine  
 audit fequentia :*

§. III.

**P**acificusnè ingreffus tuus?

Certe præliaturus advenis,  
 Sed forfan

Bellum Sanctum & Religiofum?

Sic equidem credi velles,

Hinc preces & oblationes,

Et quidquid devotionem fpirat,

Accumulas.

Ut mali fufpicionem exuas,

Hyppocritam induis,

Ut caput erigas contra Cæfarem,

Coram me curvas genua,

Foris omnia munda, intus plena funt fordibus:

Arma meo fufpendis throno,

Ut videantur bella Religioni confecrata,

Meo fub patrocinio geri,

Sed heus tu;

Illud, quo protego clientes,

Non eft pallium nequitiz.

A 3

Non

Non me hîc quæris *lilium* inter spinas,  
 Sed spinâs inter *Lilia*,  
 A quibus olim *punctus* omne perdes *punctum* honoris.  
 Non tibi nunc cordi est est *Regina cœli*  
 Sed *Regnum terra*.  
 Cave autem, ne, cum regnare disieris,  
 Servire incipias.  
 Olim me Hungariæ Patronam ritè veneratus es,  
 Sub titulo ;  
 Luna sub pedibus ejus.  
 Nunc autem ut Sueviæ Dominam me salutas  
 Titulo :  
 In capite ejus *Corona*,  
 Hanc ut tibi impetrem, deest mihi *Clementia*,  
 Quia tibi ad bellum deest *Iustitia*,

---

*Ulmam fraudelenter capit.*

§. IV.

**I**N die *Nativitatis* Virginis *electæ*,  
*Nascitur* bellum *Electoris*  
 Sub idem tempus *denascitur*  
 Expletô bienniô,  
 Ulma initium dedit & finem.  
 Capitur hæc ex infidiis,  
 Hostemque prius sensit, quàm noverat,  
 Et quia in hoc facto non invenitur germana sinceritas,  
 Puduit esse viros ;  
 Hinc, mutatis vestibus mentiuntur feminas  
 Quæ sub schemate mercium venalium  
 Ducis sui fidem  
 Prostituant, & omnem vendant reputationem.  
 Interea vulgus Bojcum  
 Exultat, plaudit, vociferatur :  
 Miracula ! miracula !  
 Cælum approbat sacros conatus,  
 Favet nebula doctis infidiis,  
 Festum Virginis vota secundat.

O Gens

O Gens absque confilio, & ignara futuri!

Quid :

Dicam ego veriùs :

Cælum irritatur, Festum temeratur,  
Nebala texit nebulones.

Si Urbis occupationem miraculosam vultis,  
Beckhmannum aspiciate,

Qui impiæ fraudis archithæctus  
Illico fenfit

Iram indignantis Dei ;

Is pro bellica structura positurus  
Primum Lapidem,

In ipso ruinoso fundamento  
Sepultus jacet,

Ut servus nequam doceret Dominum  
Fugere à ventura ira.

*Factum excusare inte 'it.*

§. V.

Sed bellum hoc, quia insar  
Et sine capite

Ne sit eiam sine pedibus  
Prætextibus inambulat,

Sed frivolis, & facile subruendis,  
Nisi gladius calamum præoccupâsset,  
Et imposuisset

Vis armata silentium.

Electo igitur Franconiam & Sueviam  
Fracti fæderis constituit reas.

Quasi vero fideles hi Circuli  
Fecissent circulum vitiosum ;  
Et ne Palmaris hæc iniquitas


Sine mercede esset,

Petit impudens sibi refundi sumptus  
In bellum factos,

Sic nimirum, qui vulnus lætale accepit,  
Obstrictus est iniquo aggressori,

Quod ensẽm acuerit.

Ha-



Habent hoc omnes ii,  
 Qui potentiam Justitiæ anteponunt,  
 Ut querantur se injurias ferre,  
 Verùm percipite ulterius corpus delicti,  
 Quo præfati duo circuli irritarunt  
 Regiam Leonis iram :  
 Membra Imperii se conformant corpori,  
 Et corpus capiti, Cæsari ;  
 Missis ad Rhenum copiis urgent Gallos,  
 Et captô Landaviô  
 Ipsam brevi Galliam invadent.  
 Quid sequitur ?  
 Ergo bellum pertrahunt ad nostras partes,  
 Ergo hostes lacesunt,  
 Ipsi etiam Baviaræ brevi timendos.  
 Quid ridetis ?  
 Consequentia Leonis est bona,  
 Quia nec *lupus* olim fecit meliorem ;  
 Hic, ut apud oviculam obtineret jus velleris,  
 Turbatæ limphæ egit *ream* :  
 Quæ tamen inferius stetit :  
 Sic Elector vicinas Provincias infimulat,  
 Quòd turbent Oenum,  
 Cùm starent ultra Rhenum.  
 O sollicitum Patrem Patriæ !  
 A quâ omnem periculi umbram remotam cupit,  
 Gallos à longè timet, ne quis invehat,  
*Præter se.*  
 Sit ergo : tuæ debentur industriæ,  
 Inducti in Patriam hostes,  
 Tuis debetur *unguibus laceratum* imperium  
 In tuas se laudes *effundit* Ister,  
 Propter vastatas ripas :  
 Suevia, quos referat grates, non potest *exprimere*  
 Propter *expressam* substantiam,  
 Imperij Urbes, præsertim Augusta inclyta,  
 Tuæ gloriæ *accinunt*  
 Suum *lessum* mortualem.

Tibi

Tibi applaudit, horrendum clamans  
 De terra sanguis,  
 Tot millium largo profluvio fusus.  
 Tibi denique æternum obstricta est  
 Ipsa tua Bavaria,

Cujus excidium nunquam excidet memoria,

Quæ tot festivis ignibus  
 celebravit Electoris nomen electum,

Qui factus est ipsi ex Patre parricida:  
 Tuus, inquam, insignis hic honor est:

Præ quo omnis evanescit

Antiqua bojorum

Gloria.

*A Suevia corenatur ironicè.*

§. VI.

Non habemus Regem nisi casarem,  
 Dicebas hæctenus ô Suevia!

Sed nunc

Ecce Rex tuus venit tibi mansuetus,  
 Vult nempe amicus credi, non hostis:

Ferro & flammis abstinet,

Quamdiu non resistis,

Iram non explet, quamdiu petitiones implet

Amicè subintrat nidos tuos, urbes,

Ut, velut erinaceus, postea aculeos exerat,

Virus non totum evomit,

Ne statim pateat tota mentis malitia.

Verbo:

Rex mansuetus, dic illi: *veni coronaberis.*

Adeste igitur Proceres vestitu Gallico in Galla,

Pompam instruite solennem,

Qua honoretur Regis nostri coronatio:

Adeste leones nigri, à fulvo, in societatem admissi,


Ornate Regis insignia,

Et novi Alexandri Præcones, rugitus edite

Orbi tremendos,

B

Ut



Ut fileat terra in conspectu ejus.

Adesto & tu Samuel!

Ut alterum Saulem in Regem ungas,

Sume *Lenticulam Olei*,

Sufficit parvum vasculum, namque solummodo

*Duobus annis regnabit:*

In primo *elatus* victoriis pudendis,

In altero *depressus* cladibus miserant

Afferte coronam in Gallia fabricatam,

Non ex ære, sed aère;

Deponendus est Electoralis pileus,

Ut imponatur Regium diadema.

Purpura fiat ex humeris, aut potius Polymita,

Quia apud regem colorata sunt omnia.

Sceptro armetur dextra

Quo muscas abigat Hispanicas;

Aureum imperii pomum teneat sinistra,

Ut admoneatur,

Se cum Adamo comedisse *fructum vetitum*,

Cum serpens Gallicus sibilaret,

*Eritis sicut Dii.*

Vivat igitur Rex Sueviæ,

Quem sui non receperunt.

### *Gesta ulteriora Neo - Regis.*

*Memmingam & Neoburgam occupat.*

#### §. VII.

**UT** stolidam populū sui persuasione

De bello contra Hæreticos

Magis foveret,

Memmingam postulat, nullo alio jure,

Quam bene placiti, dicendo:

*Dominus opus habet.*

Quia tamen hæc illum non agnovit

Regum omnium Dominum,

Petenti negavit, cogenti cessit

Utrumque prudenter,

Hic

Hæc iterum vulgus Bojcum tripudiat.

En! inquit, Dux noster

Qui ante hæc *Altare* Memmingæ posuit,

Brevi nunc *Templa* eriget,

Risit intra se *Elector* hanc popelli sui

*Simplicitatem,*

Quia tamen favet *duplicitati* suæ,

*Ratam* & *gratam* habet;

Interim hæc se paulatim prodit,

Et ostendit, nec cum solis *Suevis* se rem habere,

Nec cum solis *hæreticis*!

Ab illis enim digreditur ad *Palatinos*,

Et à convertendis ad *conversos*,

*Neoburgo* ostendit *antiqua* odia:

Cùm hanc urbem peteret,

Erat hyems summa, tempestas perfrigida;

Debuit nimirum refrigerescere *charitas*

Quando contra propinquos pugnatur.

Ut *Austriacam* *Domum*, simul & *Palatinam* offenderet,

*Serenissimam* *Electoris* viduam obsidet,

*Matrem*, *focrum*, & *aviam*:

Hæc tamen *Mulier* fortis, fugere nescia, quamvis *jussa*,

*Satius* est, inquit, custodire *propria*,

Quàm rapere *aliena*.

Urbem in purificationis *Festo* investat,

Quando pii accendunt *candelas*

*Cælesti* lumine rutilantes,

Ille accendit *globos* *tartarea* pice fumantes:

Quando *Maria* obtulit in *Templo* *Salutem*,

Ille meditaturn *ecclesis* *ruinam*:

Quando gementes audit *oblato* *turtures*,

Hôc magis *accipiter* in *prædam* accenditur, & urbem aufert,

*Præful* *Augustanus* infelicio *Simeone*,

*Cantare* cogitur;

Nunc dimittis *servum* tuum in *bello*.

*In occupatione Ratisbonensi contra  
omnium scientiarum regulas peccat.*

§. VIII.

**O** Ratisbona ! quàm malas merces vehis,  
Falsum electoris animum ;  
Debuît hæc ratis jactâ comitorum anchorâ  
Stare firmissima,

Et tamen sæva jactatur tempestate :  
Elector, inquam, Bavariz bello petit Ratisbonam,  
Tot Regum, ac Principum  
Legatione venerandam,  
Idque contra Jus, pacta, fidem, & conscientiam,

*Malus Theologus.*  
Solent, obductis catenis, à Domo curiali  
Arceri currus & equites,

Ne quid consultationibus obstrepat :  
Ille tamen Martio furore & armorum strepitu  
Interturbat magnificentissimum  
Totius imperii *Senatum*,  
In hoc ostendens, quòd nesciat *stilum curiæ*,

*Malus Jurista.*  
Membra servandi corporis amore  
Pati debent, uri, & secari,

Ille tamen, ut membrum delicatius se haberet,  
Totum corpus destruit,  
*Malus Medicus.*

Totum est majus sua parte,  
Ille autem *partem* bojam toti Imperio præfert,  
*Malus Philosophus.*

Qui promoveri cupit, habet, necesse est,  
Amicos plurimos,

Ille tamen hoc factò intolerabili,  
Reges, Principes, & status omnes offendit,  
*Malus Politicus.*

Deuisset Elector accessu suo  
Saniora imperii vota *multiplicare*,

Ille

Ille autem om  
Comitia sunt g  
Pro  
Imponendo  
Fec

Cum G

Jam hyems  
Flores ap  
Electo ar

Non quide  
Hinc Gallis obvi

Ut possit c  
Extern

Galli igno  
Eo magis  
Et felice

Fit igit  
Se

Nam Bavar  
Ni  
Et hi

Canatur e  
Son

Tenat tor  
Gr  
Non mitigan

Mittitur i

Annunc

Ille autem omni modo conatur ea *dividere*,  
*Malus Arithmeticus.*

Comitia sunt generis *neutri*, quibus etiam ipse  
 Promisit *neutralitatem* ;

Imponendo autem urbi milites, *viros*  
 Fecit generis *masculini*  
*Malus Grammaticus.*

*Cum Gallis se conjungit.*

§. IX.

JAM hyems transiit,

*Flores* apparuerunt in *terra nostra* ;  
 Elector autem his non contentus,  
 ambit *peregrina Lilia*,

Non quidem *hortensia*, sed *silvestria* ;

Hinc Gallis obviam factus petit *Herciniam silvam*.

Ut possit cum *veritate* dici de *Suevia* :

Exterminavit eam *aper de silva*.

Galli igitur, quo *maiores auri sarcinas* gestant,

Eo magis per *angusta montium* penetrant,

Et *foeliciter* superant *candido argentô*  
*Nigram silvam*.

Fit igitur *conjunctio armorum*,

Sed non *animorum* ;

Nam *Bavari à Gallis nihil expectant*,

Nisi *sui despectum*,

Et hi in illis nihil *amant*,

Nisi *perfidiam* :

Cantatur tamen *utrinque triumphus*,

Sonant *cantus & júbila*,

Tonant *tormenta*, minanturque *imperio*

*Grandem tempestatem*,

Non *mitigandam*, nisi *campanarum sonitu*,


Et *voce* :

Vivat *Rex Suezix*.

Mittitur in *Bavariam* *velox Mercurius*

Qui *diceret* :

Annuncio vobis *gaudium magnum*,



Quia appropinquat *redemptio* vestra,  
Sic est, ô Bavari!

Adventu suo Galli *rediment* capita,

Prius ensi obstricta,

Si quis dicere tentasset:

Ducem nostrum possidet Gallo-dæmon.

Hæc nimirum sunt miracula

Sancti reformatoris,

Ut cum mundum non possit facere *cæcum*,

Faciat *mutum*,

Ne loquatur, quod videt.

Nunc licet audacter dicere: Galle Leo.

Iterum dico: gaudete!

Nam hospites tamdiu desiderati secum afferunt

Duci vestro coronam,

Et vobis circulum:

Illi, inquam, coronam, non quæ caput ornet,

Sed pedes liget,

In regis mancipatum,

Vobis circulum, quô naribus insertô,

Vos ducant ad interitum.

Procedit agmen *secundo* Danubio,

Sed *infelici*.

Pro castris describitur ripa Dilingana,

Et in facie Academiae

Mars & Pallas infausto connubio ligantur

Hic Galli se terræ infodiunt,

Ne talpæ videant grandem Germanorum exercitum

Quem meritò timent:

Immeritò tamen sentiunt innoxium,

Nescio quô fatô

*Per Tyrolim alteram conjunctio-*  
*nem frustra tentat.*

§. X.

**Æ**Qua divisio inter Gallum, & Bojum!  
Primus egreditur,

Alter

Alter ingreditur montes :

An fortè superimponet Pelion Ossa,  
Cælumque expugnabit,

Novum de gente Gigantæa Monstrum !

Sed, licet nullus tonet in cælo Jupiter,

Jovis tamen ales, Tyrolensis Aquila

Mutuabit fulmina,

Hâc inimicâ non perget *bonis avibus,*

Pergit tamen,

Et post primum claustrum, clave adulterina, reseratum

Felici progressu sequuntur plura :

Lata initia, multa victoria ;

Oenus ad vota fluens homagium præstat.

Elector pene jam ipsis montibus excelsior,

Halenfi Salinâ occupatâ

Mox Helvetis promittit commercium *salis*

Ut ostendat, se parum habere

De *Sale* prudentiæ,

Cùm se ipsum includat montoso carceri.

Interim, dum progreditur usque ad Oeni *crepundia*

A tergo experitur *seria,*

Et dum ille argumentari pergitâ priori,

A *posteriori*

Faciunt *conclusionem* Rustici :

Ad locum *Finster-Mintz* vulgò dictum,

Accipit *clarissimam solutionem*

Et in *tenebris* capit *lucida intervalla,*

Quibus videt, agendum de *reditu,*

Pene jam *intercluso ;*

Nam montium incolæ, gens *strenuissima,*

Servatura Cæsari *fidem,*

Patriæ *salutem,*

Datura *postteris gloriam,*

Vicinis *invidiam,*

Arma viri ! clamant, nostris *dominabitur antris,*

Non Leo *bojus,* sed *Leopoldus,*

Pars inde *sclopis armatur,*

Docta non tantùm *jaculari ceruos,*

Sed etiam *apros,*

Pars

Pars fustibus præacutis subdibusque præfustis  
Lytanias cantat, sæpius repetendo :

*Stella Matutina.*

Pars per montium juga faxa degrandinat,  
Quibus ingenti strage obruuntur

*Rebelles Absolones,*

Et hi bene dispositi, si non confessi,  
Moriuntur saltem *contriti.*

Hic demum efferatur Leo, hic flammæ ructat faucibus,

Et unguibus obvia discerpit,  
Aperitur inauditæ scena crudelitatis.

En ! quousque se porrigat  
Moderamen Bojæ mansuetudinis  
Tantum hucusque deprædicatæ ;  
Nimirum usque ad justæ defensionis *columnam,*  
Non plus ultra.

Si percutienti alteram maxillam præbes,

Lambit,

Si dentem pro dente poscis,

Mordet.

Interim Vendomius ex Italiæ finibus

Alterum pulsat latus,

Ut perfractis alpibus Bojo jungat copias,

Sed non dabatur copia

Ingredi vel primam januam,

Et impudens hic hospes prudentius *non admittitur,*

Dum alter *turpins ejicitur.*

Hic itaque libenter Tyroli *tergum* daret,

Nisi hæc illi *frontem* porrigeret,

Et fugientis vestigia multò *sanguine* tingeret,

Quo *erubescat,*

Quòd cæteroquin Politæ Gallicæ Magister,

Primum debeat mores discere

A rustico Marte,

Qui hanc ipsi præscribit lectionem :

*Tange montes & fumigabunt.*

Ægrè interea evadit victor Scenicus,

Spolia sequuntur Oeno vecta,

Nimirum cadavera.

Sub

Sub hæc  
Quod ipsi alie  
Fit aut  
Præf  
Solum m  
Ut hab  
Multæ b

Inde regre

E Lector ar  
Ab  
De mort  
Quem perit  
Mend  
Quia  
De falso ho  
Si quis

In pugna  
Qui no

Quos secum  
Ita est  
Non disprato

Extollo b  
Genuim

Verum  
Co

Quid F  
Quid juv  
Quæ  
Quid sunt

Sub hæc rursus amittit Ehrenbergam,  
 Quod ipsi aliquamdiu fuerat *castellum honoris* ;  
 Fit autem postea *castrum doloris*,  
 Præsertim illi, qui tradidit.  
 Solum nunc ipsi remanet *Kuffstein*,  
 Ut habeant *lapidem sepulchralem*  
 Multa bojorum millia in Tyroli.

*Inde regressus propè Hochstadium  
 Victoriã obtinet.*

§. XI.

**E**lector autem pro se revolvit lapidem  
 Ab ostio monumenti,  
 De mortis inferna specu regressus,  
 Quem pertinax fama diu mortuum dixit,  
 Mendacio summè perniciosò,  
 Quia veritas magis profuisset.  
 De falso hoc rumore bojorum nonnemo  
 In hunc sensum scripsit :  
 Si quis dubitat Maximilianum vivere  
 Mortuos consulat  
 In pugna Hochstadiana ab illo cæsos :  
 Qui non credit liberum de carcere,  
 Captivos numeret,  
 Quos secum aufert vivos Victoriæ testes.  
 Ita est, O Bavari, vicit Leo,  
 Non disputo victoriã, concedo Palmam,  
 Laudo fortitudinem,  
 Extollo belli peritiam incomparabilem,  
 Genuinum Martis filium appello  
 Ducem vestrum,  
 Verum, quid laudis habet Victoriã  
 Contra Patriam reportata ?  
 Quid Fortitudo prodest sine *Iustitia* ?  
 Quid juvat rerum gerendarum *dexteritas*,  
 Quæ intentionem habet *sinistram* ;  
 Quid sunt optima talenta, pessimè applicata ?  
 Certè

Sub hæc rursus amittit Ehrenbergam,  
 Quod ipsi aliquamdiu fuerat castellum honoris ;  
 Fit autem postea castrum doloris,  
 Præsertim illi, qui tradidit.  
 Solum nunc ipsi remanet Kuffstein,  
 Ut habeant lapidem sepulchralem  
 Multa bojorum millia in Tyroli.

Certè Ecclesia, cùm Augustinum videret  
Relicto suo gremio  
Hæreticorum castra sequi, propugnatorem strenuum,  
Orasse dicitur :

Ab Augustini Logica libera nos Domine.

Sic Germania modò liberari petit

A consilio, manu, gladio

Maximiliani Ducis à se avulsi :

Sed in hoc nulla gloriandi materies,

Quòd ille calamus, hic ferrum

In Matrem strinxerit,

Querulà voce lamentantem :

*Filii Matris meæ pugnauerunt contra me.*

Gloriantur tamen Bavari, dicentes :

Dux noster non potuisset efficacius demonstrare

Suam de Sepulchro mendacii Anastasin,

Quàm hoc prælio.

Sic est: verùm audite, quid Paulo contigerit

Cùm in Areopago differeret

De resurrectione Mortuorum :

*Quidam adhærentes ei crediderunt :*

*Quidam irridebant, quidam verò dixerunt :*

*Audiemus te de hoc iterum.*

Quidam adhærentes, nimirum devoti Boji,

Crediderunt, post hanc victoriam

Ducem suum fore invincibilem

Et immortalis gloriæ.

Quidam vero irridebant; nimirum prudentes,

Qui perspicacius futura considerantes

Prævident ruinam domûs,

Quæ sine fundamento est,

Quamvis eleganti structurâ jam surrexerit

Una & altera contignatio.

Quidam vero, nimirum Eugenius & Marleburgius

Dixerunt: *audiemus te de hoc iterum.*

Hoc ipso in loco, sub idem fere tempus post annum

Rurfus disputabimus de eadem materia,

Theses erunt :

An Gallis post mortem plumæ reviviscant,

Et Leonibus iungues,

Cam-

*Campilonens/  
persuadet*

Postquam d  
Et his

Fame &

exercitum Camp

Ne videat

Urbe expu

Vex

Docentur in

Non ut a

Nam intacto L

Quo c

Contemnitur

Ut no

Hic Abbas c

Et

Non vult face

Sequ

Privatorum dor

Depre

Et hoc Luther

Postea

Ornament

Ut c

Calices auste

Co

Quidniq

Congre

*Campidonensibus aliquos fidei articulos  
persuadet, mirabilibus argumentis.*

§. XII.

Postquam distribuit Urbibus captivos,  
Et his panem arctum,  
Fame & inediâ consumendis,  
Exercitum Campidonam ducit per varias *ambages*,  
Ne videatur incedere per *vias rectas*.  
Urbè expugnata, dat veniam corvis,  
Vexat censura columbas :

Docentur inde cives verâ fidei dogmata.  
Non ut amplectantur sed rideant ;  
Nam intacto Lutherô persequitur Benedictum,  
Quo discant *cultum Sanctorum*.

Contemnitur iniqua Residentiz violatione  
*Consecratus Princeps*,  
Ut normam habeant venerandi  
*Regale Sacerdotium*.

Hic Abbas celsissimus solo crimine fit nocens,  
Quia absens,

Et quia depositâ Insulâ  
Non vult facere reverentiam Bojczæ ambitioni :  
Quia devotus David  
Sequi detrectat Abfalonem.

Privatorum domos, & principale monasterium  
Deprædando penitus *perpurgat*,  
Et hoc Lutherani libenter admittunt *purgatorium*.

Postea ipsam Ecclesiam invadit,  
Ornamenta spoliât, Altaria disturbat,  
Ut credant *Missæ Sacrificium*.

Calices aufert, ex quo necessario sequitur  
Communio sub *una specie*,  
Quidni igitur Exercitum Gallo-Bojcum  
Rectè dixeris

Congregationem *de propaganda fide* ?

*Augustam extremâ calamitate afficit.*

§. XIII.

EX prædatore fit incendiarius.

O Decus Sueviæ, infelix Vindelica!

Quia *arrides* Electori,

In uberes brevi solveris *lachrimas*,

Et tamen non *extingues flammâs*;

Namque Trojanum paratur *excidium tibi*,

Non propter Helenam, genus *femineum*,

Sed propter *neutrum* :

Elector te *fractæ neutralitatis* arguit,

Quam ipse dudum violaverat,

Nunc portam, non ipsam Urbem petendo :

Verùm, ut sis *nocens*,

Sufficit esse aptam Baviariæ *commodis*,

Ut sis *perfida*,

Sufficit esse *fidelem Cæsari*.

Quia LEOPOLDO *Angusto* non potest vitam

Auffere adulter, statuit sponfam *Augustam*.

Pro hoc *impuro conceptu*

Eliget *conceptionem* Virginis,

Ut contrahat novam nomini suo *maculam*

Ab *immaculata*.

Iu hoc Festo nihil veneratur,

Præter *Lilia*,

Gallicæ puritatis *symbola*,

Quorum in odorem dum violenter currit,

Cæca devotione,

Tandem serò ingeminabit :

*Lassati sumus in via iniquitatis*.

Hæc, inquam, dies furori laxavit habenas,

Atra nubes civitatem obtegit.

Dubites profectò,

An Mars, an Vulcanus, an ipse Pluto

Suam aperiat officinam ?

Tonitruali voce mugiunt tormenta,

Fulmina decidunt non nubibus acta,

Sed de terra in aërem missa,

Non

Non levi discursu hinc inde errant,  
Sed arcuato casu, & ferreo pondere  
Igne sparso sulfuream pestem afflant,  
Et domos quassant.

Hinc ruinæ, & sæva incendia !

Interea Boji audito tormentorum fragore  
Excitantur ad jubilum,

Et viso super tecta Vulcano, lætantur,  
Aatholicis tempestatem hanc gratulando,

Quasi verò

Lumen fidei accendi debeat per flammæ,

Quibus Catholici simul aduruntur.

Cavete Bavari ! ne ventus superbæ jactantiæ  
Scintillas perferat in viciniam,

Ex quibus magna oriantur incendia.

Per has tamen Urbis angustias,

Spatiosam sibi viam sternit ad ingressum :

Admittitur itaque hostis

Ad redimendam vexam ædificiorum,

Quæ tamen ab his ad incolas transfibit,

Victori cantatur *Hymnus Ambrosii*,

Sed civibus incipit *Lamentatio Jeremiæ* :

*Hæcine civitas perfecti decoris*

Evadat in *sterquilinum Gallorum* unguibus fricandum !

Ita est,

Elector namquæ, ne videatur calamitatis auctor,

Urbem permittit Gallorum *discretioni*,

Hi pene omnes *Urbani* esse volunt

Et ingrati civium hospites domos implent.

Pauper opifex, cujus labor vix sibi sufficit,

Alienos alere duos tenetur :

Hinc alii ad incitas, alii in exilium,

Alii in mortem propelluntur.

Et quia, ubi leges exasperat Martis *severitas*,

Nihil valet *Decretum Gratiani*,

Et ubi loquuntur belli canônes,

Silere debet privilegium Canonis,

Hinc *Monasteria*, & summa Cleri capita,

Etiam *Episcopi*,

C 3

Im-

Imposito milite onerantur alumno,  
 Et præter Gallos, etiam Gallinas meretrices  
 Coguntur sustentare,  
 Ut in hoc sacerdotii respectu nulla non appareant  
 Belli sacratoris argumenta.

Et quia vis injusta nunquam sine metu est,  
 Exuuntur cives armis domesticis,  
 Solo illis relicto *chlypeo patientiæ*.

Magistratus exauctoratur;  
 Debent nimirum obmutescere reliqua oracula,  
 Quando loquitur Apollo Bojus  
 Ex tripodè.

Hic inter alia Sapientiæ effata  
 Geminum eructavit Decretum:  
 Primum de *Tabaco*, quod jam in *fumum* abiit,  
 Alterum de *Papyro*,

Quod æquè jam resolvitur in pristinos *centones*.  
 Et licet quemvis quaternionem  
 Quatuor Leones teneant,

Impedire tamen non possunt, quo minus scribantur  
 Minime placitura.

Sed nondum est finis Threnorum:  
*Mannum suam misit hostis ad omnia desiderabilia ejus.*

Ut autem Urbis prædatio sine confusione fiat,  
 Summæ impossibilis exactiõne

Coguntur cives ipsimet afferre supellectilem  
 Argenti, stanni, & cupri:

Ex hoc ultimo fit temperamentum,  
 Ne quindenarii bojici fiant justo meliores,  
 Præsertim illi,

Quos sub signo Reipublicæ Augustanæ  
 Cudit falsarius,

Ut præter intrinsicè simul etiam decrescat  
 Externus valor.

Quando jus monetæ usurpat alienus,  
 Superi! quid monstri?

Nova fit Urbis aggressio, magisque furit  
 Hostis *insidendo* quam *obsidendo*.

Tormenta jam disponuntur, Quæ,

Quæ, ut vulg  
 Ab Urbe ar  
 Carter

Et maximo  
 Hucusquè

Et habeant Boji  
 Et co  
 Contin

Non ab extra  
 Sed imp  
 Licit autem

Ampla nimis  
 Miles

Hinc fortaliti  
 Ut n

Accipiat  
 Novum hoc mo

Hic homo cap

Ad Clerm  
 ligio

Si qui vel  
 In Mon  
 SS Martinum M

Irpositurus,  
 Hæctis Prædica

Hab

Vos

Quæ, ut vulnus crudelius infligant mænibus,  
Ab Urbe averfa in Bavariam diriguntur.

Cætera quoquè arma minora

Et maximo numero, & pulcherrimo ordine

Hucusquè affervata eòdem asportantur,

Ut habeant Boji, quo se diutius opponant Justitiæ,

Et cooperentur propriæ ruinæ.

Continuantur interim insultus;

Non ab extra cum periculo quatiuntur mænia,

Sed impune ab intra dejiciuntur;

*Luxit antemurale, & murus pariter dissipatus est.*

Hoftribus Augusta

Ampla nimis domus est, sed curta supellex,

Miles defenfioni insufficiens,

Hinc fortalitium exstruit Elector micropolin

Ut major Civitas à minore

Accipiat tutamen, leges, & frænum.

Novum hoc monumentum amœno quidem *prospectu*

*sed turpi despectu*

Bavariæ porrigit Frontispicium,

Cui inscribas:

*Hic homo cepit adificare & non potuit consummare.*

*Ad Clerum Bavaricum belli Religionis opinione infatuatum.*

§. XIV.

SI qui vestrùm, ô Sacerdotes!

In Monasteriali Ecclesia Ulmensi,

Ad S. Martinum Memmingæ, ad S. Magnum Campidonæ

Aut alibi locorum

Præposituras, canonicatus, & Parochias ambiunt,

*Accedant!*

Ejectis Prædicantibus, vacant jam omnia Beneficia.

Ite ad Regem Sueviæ,

Habet is ubiquè primas preces,

Et quidem armatas.

Vos deinde, zelosissimi Pastores,

Dura

Dura Hæreticorum corda,  
 Quæ Elector ad fidem coëgit *fortiter ferro*,  
 Hoc ipsis prædicate Evangelium :  
 Homo quidam nobilis abiit in Regionem *propinquam*,  
 Accipere sibi Regnum & reverti.  
 Numerate autem prius animas conversas,  
 Ut possint inferi actis Canonizationis  
 Apostoli vestri :  
 Numerate ! quot sunt ? numerus sine numero,  
*Nulla.*  
 Hic tandem effectus est belli Religiosi,  
 Quod vos tantopere jactitastis,  
 Cujus inepta opinione populum pro Cathedra imbuistis  
 Zelo abrepti nimium quantum indiscreto.  
 Dicite enim,  
 Quid tandem sacrum est in hoc bello ?  
 An quia contra Cæsarem ?  
 Sed is nondum expunctus est orthodoxorum albo,  
 Habetisne Missale Romanum  
 An Bavaricum ?  
 In illo orandum pro Imperatore :  
 Ut scienter excolat Triumphum virtutis Dei.  
 Ille igitur *excludendus* non est,  
 Multò minùs *impugnandus*,  
 Quando contra Hæreticos res agitur.  
 Quid porro sacrum est in hoc bello ?  
 An quia Episcopum Augustanum,  
 Cujus sacra potestas magnam Bavarix partem ligat,  
 Fugavit, spoliavit, & ad incitas redactum  
 Sub hasta vendidit ?  
 Sed hoc est Ecclesiam ædificare,  
 Et dejicere columnas,  
 Quid ulterius sacrum in hoc bello ?  
 An quia sacros Principes, & magnos Præsules  
 Exilio dedit ?  
 Ecclesias & monasteria vexavit ?  
 Melioris fidei Sueviam, & majorem partem  
 Vastavit ?

Et

Et hoc quidem, ut dicitis, ne crescant hæretici?

O quam bellè! ne surgant mali,

Debent jacere boni.

Quid insuper sacrum est in hoc bello?

An quia cum Gallis agit de orbe reformando?

Non hos elegit Dominus.

Nam Galli Cantus minimè aptus est

Ad convertendos Petros,

Quia, qui Mahometem extollit, Lutherum non dejicit:

Qui pacis fœdera pro libitu frangit

Ecclesiæ scissuras non unit:

Qui pessumdat fidem hominum, non quærit

Fidem Dei:

Qui vult esse Mundi Monarcha,

Non curat, an Christus regnet, Christus imperet.

Fugavit hæreticos, non ut inimicos Christi,

Sed ne inquieti regno obstarent firmando;

Hinc quia Zelus non erat purus,

Nec Deus benedixit laboribus,

Sed permittit,

Ut modò posteriora sint pejora prioribus.

Videtis nunc quomodo Dux vester ambulet

In Sanctitate & Justitia?

Olim in Hungaria bellum gessit facerrimum

Et absque controversia Religiosum,

Et tamen non ita promptè obtulistis munera,

Ut luna oriens pelleretur è suo Horizonte,

Quàm nunc offerebatis,

Ut sol occidens oriatur in alieno.

Minus itaque tunc fecistis pro Filio Dei,

Quam nunc pro Filiis Zebedæi,

Qui nihil aliud desiderant, quam federe

In Regno Mundi

Unus ad dexteram, & alter ad finistram.

Et quomodo tandem meruit Dux vester,

Ut haberetis tam piam de illo opinionem?


An vitæ Sanctitate?

Sed fatis est dicere, illum produisse

E schola Regis Galliarum,

D

Disci-



Discipulum Magistro per omnia similem.

An quia tantam *civilitatem* ostendit

Erga vos clericos ?

Quos ferme tractat ut *cives* ?

Quibus citius jubet *imponi* onera, quam *deponi* pileum.

Numquid ipfimet sæpe dixistis :

Qui Clerum despicit, & opprimit,

Tyranno est similis, & ruinæ proximus ?

*A summo felicitatis fastigio paulatim incipit ruere.*

§. XV.

JAm iterum hyems transiit,

Dumque ver arbores vestit *foliis*,

Spes Electoris in *viridi* ponitur,

Faciendi nimirum pinguem venationem,

Quam Leo Rex ferarum

Cum Diana silvarum Dea instituit

In *Hercinia*.

Cepit tamen solummodo macros lepusculos,

Aliquot Gallorum millia.

Effectus iste minimè respondebat expectationi,

Tantæque expeditioni ;

Totum enim exercitum Gallo-bojcum

Duxit obviam,

Tanto curruum apparatu,

Ut homines & equi rustici agmen non auxerint,

Sed superârunt.

Cum gemino dein hoste pugnandum erat :

Alterum secum vexit, famem,

Alterum lacesivit, militem Cæsareum.

Hunc sequitur Anglus,

Uterque nec diu cunctatus, ad *Werdam* Danubii

Castro *Bojca* aggreditur

Situ & opere munita, firmiora præsidio,

Et strenua *Bojorum* defensione.

Diceres hos veros Martyres,

Nisi mors fuisset causa præclarior.

Ludo-

Ludovico & M  
Ac cedere  
Bojjs inter  
Tiu

Respondetur

Tandem sol Au  
Tandem I  
Per totum h  
Apertæ in  
Et i

Quia ingatus bell  
Tar

Quia prædari non  
Ac i

Quia Bojjs  
Tu

Hactenus ab  
Ad

Et, parum ab  
Certe exercitu

Set

Pacius ist

Nolite Impera  
Foram adhue,

Saltem  
Velut.

Heterodoxos  
An his ipsi ne

Venit  
Et imita c

O Sanctam  
Non

Sed Ducis vest  
Cum tribus

Ludovico & Marleburgo fortiter infistentibus,  
 Ac cedere nescius, mons cedit ;  
 Bojis interim audito *nolarum* fonitu,  
*Tinnunt ambæ aures.*

*Respondetur querelis Cleri popu-  
 lique Bavarici.*

§. XIV.

**T**andem sol Austriacus eclipsin patitur,  
 Tandem Leopoldi pietas,  
 Per totum hæctenus orbem celebrata,  
 Apertæ injustitiæ censuram sustinet,  
 Et impiæ crudelitatis.

*Quare ?*

Quia ingratus bellum declarat contra Electorem  
 Tam bene meritum,  
 Quia prædari non finit lupum & furere Leonem,  
 Ac impunè debachari :

Quia Bojos lædit iniquos aggressores.  
 Tandem Cæsaris *Religio*,

Hæctenus absque controversia Orthodoxa,  
 Ad *inquisitionem* vocatur,

Et, parum abest, quin dicatur ipsi *Anathema* :  
 Certe exercitum ejus non vocant *Cæsareum*,  
 Sed vulgò *hæreticum*.

Parcius ista, Domini Zelosiastri !

Nolite Imperatorem abs vobis projicere,  
 Forsan adhuc, si non *Dominum* Bavarix,

Saltem ut *caput* Imperii,  
 Velut antea, venerabimini.

Heterodoxos habet suos inter subditos,  
 An hos ipsi non licet ducere in prælium ?

Verùm Angli vos angunt,

Et inita cum exteris impia fœdera,

O Sanctam societatem ! quam habet,

Non dicam Dux vester,

Sed Ducis vestri collega Gallus,

Cum tribus litteris R. S. T.

D 2 De-

Deinde, an non priori bello Elector ipse  
Cum toto Imperio fæderatos habuit Anglos?  
Et quidem sine omni vestro scrupulo,

An nunc melius videtis,  
Cum Gallus imposuit naso vestro perspicilia?  
Lamentari pergitis:

O abominationem desolationis!  
O impiam licentiam hæreticis concessam,  
Sæviendi in Patriam nostram!

O Sacrilegam eorundem vesaniam!  
Templa & monasteria incendunt,  
Ecclesias spoliant, sancta proculcant,  
Sacerdotes immaniter persequuntur.

Hæc omnia vobiscum gemens deploro,  
Sed simul irascor vobis;

Hæc enim sequelæ absurditas  
Vestris debetur præmissis:

Vos jactitastis habere meros *militos crucis*:  
Vos ante hoc bellum ventilastis

*Vexillum fidei*:

Vos tubam inflastis pro bello *Religionis*:  
Vos ex Duce vestro fecistis Herculem;  
Cuncta demessurum hæreseos capita.

Hinc dicent Hæretici:

*Fiat tibi sicut credidisti.*

Et faciunt strenuè, à vobis *provocati*,  
Ad quod aliàs sunt *proni*.

Si Elector vester est Salomon,  
Cur non prævidit hæc suâ sapientia?

Salomon fuit,

Quando *feminea* Gallorum blandimenta  
Averterunt cor ejus, ut sequeretur Deos alienos.

Si Dux vester est Samson,  
Cur non avertit suâ fortitudine?

Samson fuit,

Quando concussis Imperii columnis  
Se ipsum ruinâ involvit.

Si Dux vester est Moyfes,  
Cur non liberavit vos ab Austriaca servitute?

Moyfes fuit,

Quan-

Quando ex nimio confortio fermonis cum sole Gallico

Cornutus apparuit,

Ut dura fronte, & superbiæ cornibus

Omnia à se propelleret

Paterna monita, minas, & honestissimas

Pacis conditiones.

Si Dux vester Elias est,

Cur non, Zelo flagrans, igne consumsit hostes?

Elias erit,

Quando illum in regio hospitali

Non corvus sed Gallus

Quotidie pascit pane tribulationis.

*Electoꝝ, postquam cœpit ruere in pugna  
tandem decretoria penitus præcipitatur.*

§. XVII.

**T**Andem patet, cur ante annum Gallis  
A Cæsareanis concessum otium,

*In agro Dilingano?*

Nimirum ut quiete absolvant studia, & se parent

Ad hodiernam disputationem,

Quæ horis ante- & pomeridianis acerrimè geritur

Sub felicissimis aquilæ auspiciis,

Ex prælectionibus Martis Professoris ordinarii,  
Impugnantibus EUGENIO & MARLEBURGIO,

Defendentibus Gallo, & Bojo.

Ex Theologia ponitur thesis unica:

Deus nunquam visus est deserere causam justam:

Unica item ex Jure:

*Lege Talionis* juste punitur,

Quando quis in eodem loco parvam victoriam,

Et magnam cladem accipit.

Reliquæ positiones potissimum sumuntur

Ex Philosophia.

Adesdum Maximiliane!

Audiemus te de hoc iterum:

Quamvis ab initio locum opportuniorem

E Superiori cathedra laxatis tormentis

Electoꝝ in  
Anglos  
scopulo,  
videtur,  
pæpitiu?  
ergis:  
desolationis  
creticis concelam,  
in nostram  
dem vesam?  
ena incendunt,  
nita voculant,  
et persequuntur.  
n gamens depicor,  
sore vobis;  
ex abundantia  
a præmissis:  
a meros vultus crucis:  
vltum venulitatis  
a tibi:  
tis pro bello Helonni:  
Aro Jesuitis Hæreticis;  
nam hæreticos capite  
a Hæreticis:  
a crudelitate  
a vobis præsumit,  
a tunc provi.  
a Salomon,  
a sua sapientia?  
a fuit,  
a locum blandimenta  
a deoretur Deos alior.  
a est Salomon,  
a sua fortitudine?  
a fuit,  
a Imperii columina  
a unam involvit  
a est Moyses,  
a ab Aulicis ferunt  
a fuit,

Probes *actionem in distans*;

Ego tamen, inquit Eugenius, capiam se *sophismate*,  
Plures latenter adducendo copias,

Quam tu credas :

Habeo insuper *pulverem sympatheticum*,  
Non qui sanet, sed faciat vulnera.

Et ego, inquit Marleburgius, perrumpendo tuorum cuneos,

Ostendam, quòd detur *penetratio corporum*,  
Plurima fiunt argumenta *ad hominem*,

Multa etiam *ad equos*;

Pugnantes petuntur termino *à priori*,

Fugientes *à posteriori* :

Galli qui fecerunt syllogismos in *Frisefomorum*

Expresso Suevorum sanguine

Per hyemem *saginati*,

Subjiciuntur nunc *laniena*.

Qui autem impuri lenones fecerunt in *Barbara*,

Pinguntur modò cum *Turri* captivitatis.

Alii diligentius scrutaturi globum *Terraquenm*

De terra in Istrum posiliunt,

Experti quod aquæ sint *liquida* ad mergenda corpora,

Quamvis cæli sint *solidi*,

Et *Surdi* ad audienda Gallorum vota.

Plurima mortis imago !

Nil magis ubiquè cernitur, quam *forma cadaverica*.

Tallaredus, ut fervet corporis sui

*Materiam & formam*,

Etiam admittit *unionem*, vincula.

At Elector, qui cane pejus & angue horret

*Saccum Cæsaris Philosophicum*,

Tandem dicit : concedo totum, & fugit,

Inurbanè oblitus referre

Maximas gratias *pro doctissimis argumentis*.

Nos autem sanioris Germaniæ incolæ

Vices supplebimus.

Agimus itaquè immortales vobis gratias, Duces inclyti!

Euge! Eugeni! serve bone & fidelis!

Ante annum in hac palæstra Galli facti sunt

Victores *Baccalanrei*.

Nunc

Nunc autem ipsis malè disputantibus  
 Non concedis *Magisterium*,  
 Servans ipse tibi *supremam victoriæ lauream*.  
 Et tu *Marleburgi, Angle!*

Vel potius *Germaniæ custos Angele!*  
 Disputator *Aristotele nihil inferior!*  
 Prudenter omnino rejicis *Platonis definitionem* :  
*Homo est animal implume bipes.*  
 Namquè *Gallo egregiè deplumato,*  
 Ecce! ais, *homo Platonicus.*

Elector interim,  
 Ne in hac *lamentabili corruptione*  
 mittere debeat *resolutionem usque ad materiam primam,*  
 Totumquè amittat *exercitum,*  
 Dispersa recolligit *accidentia, miseras reliquias* :  
*Augustæ & Memmingæ fine absurdo*

Concedit *vacuum.*  
 Ulmam jubet *experiri à T*  
 Quid sit *violentum,*  
 Ille denuò *silvas petit, vitula,*  
 An fortè non *reliquos ibi inveniatur Hircocervo,*  
 Qui *serviant culinæ Regis chimerici.*

Elector *Coloniensis Fratrem Bojum, post*  
*bellum biennale feliciter gestum gratu-*  
*labundus excipit.*

§. XVIII.

SALVETO Frater!

Nisi jam sero sit salutem dicere,  
 Postquam omnia perdidimus :  
 Provincia, subditi, Potentia, Patria,  
 Auctoritas, libertas, vires, fama, conscientia,

Hæc omnia in *fumum abière,*  
 Dum illa *cremavimus in thuribulo,*

Quo thura dedimus *Idolo Gallico*

Adoratores *nimum devoti* :

olendum hoc maximè, quòd nemo nobiscum *doleat,*  
 Et justam *simus meriti irrisionem* : Sur-

Surgant nunc Dii vestri, & opitulentur vobis.

Et vero opitulantur;

Hanc semper opem referunt clientes Gallix,  
Ut, quibus Rex aufert Provincias,  
Postea præter aurea vincula, & speciosum mancipatum,  
Gratosè concedat *Titulum mensæ.*

Ad mensam itaque regiam

Ego ut *Archiepiscopus* recitabo: *benedicite.*

Tu vero ut *Archidapifer*

*Cibos* inferes.

Et quia tergum dedimus nostræ *Germaniæ,*

Nunc sanctum *Germanum* venerabimus,

Communem alumnorum Patronum,

Quorum societatem accessu nostro augebimus,

Dum eorum exemplo sapere nolumus.

Ego quidem *alieno*, tuo, consilio factus sum *nocens,*

Sed *propria* calamitate *miser.*

In quibusdam tamen culpam agnosco *meam*:

Quia turpi *Anabaptistarum* facti mixtus

multa Gallorum millia rebaptizavi,

Imponendo illis nomina nova Burgundionum:

Dein, Ulmam dum caperes,

Ineptâ latitâ, & petulanti gaudio tripudians

Crucem amisi *Archiepiscopalem,*

Et paulò post ipsam sedem.

Omnes ad Comitiam Ratisbonensiam Legatos

Per despectum *vulpes* scholasticas vocitavi,

Qui tamen fati *astuti*

Varias nostras & intricatas *praxes* enervârunt.

Cum hac confessione irem ad Patrem,

Nisi vincula retraherent,

Et sperarem gratiam à mitissimo LEOPOLDO,

Quia, dum ego nomine, ille reipsa

Ter *Clemens* est.

Tu vero duræ cervici non te submittes,

Sed obstinatus permanebis

Usque ad mortem tuam, & ad ipsum

*Antiquæ Bojorum gloriæ*

*Sepulchrum.*

F. I. N. I. S.